

Regi cum gaudio præsentavit. Ut autem vidit illum Rex coram se præsentem, ait illi : *iniquissime proditor, quanto te fugere longius credidisti, tanto longius nostro dominio fuisti adductus; scias te Majestati nostræ proditorem deliquisse, unde morte proditoria morieris.* Et iussit eum diris exponi tormentis. Igitur præfatus Conradus poena tormentorum crudelium superatus, palam sua prodimenta confessus est, seque manu propria Ducem Andream cum quampluribus sequacibus necavisse. Quod idem Rex audiens, crudelius sæviens in eundem, ipsum mandavit crudelissima morte puniri; & in rota acutissimis novaculis circumdata Conradus idem superpositus laniatur. Multi alii Neapolitani & Regnicolæ accusantur; quis odiosè ficto mendacio æmulatorum, & quis veridicè nullo ficto mendacio. Rex autem videns quamplurium acculatorum malitiam, mitigato furore, ordine juridico contra tales accusatos procedi mandavit. Quotquot autem de Majestatis lææ crimine culpato inveniunt, abque misericordia condemnari præcepit. Eos autem, quos publicatos proditores minimè confessatos invenit, & aliis legiimis indicis non culpato, penitus liberari iussit, & ad gratiam admisit eosdem. Factaque est vindicta maxima de morte Ducis Andrea, unde fuerunt, qui de suis proditoribus paucissimi restaverunt.

Igitur præfatus Rex peractâ vindictâ de morte fratris, factus quasi contentus, omnes Comites & Barones & Regni sui Magnates, omnesque Civitates, Castra, & Casalâ per idoneos Syndicos coram se comparere mandavit, volens, ut unusquisque juxta Regni consuetudinem Ligii homagii juramenta præstarent. Concurrunt itaque universi ad mandatum prædictum. Illi autem de Sancto Severino, quorum corda sincera non erant, habito consilio inter eos in Civitate Salerni, ordinarunt se ipsos non unanimiter comparere, sed unus post unum homagium debitum præstituros. Miserunt itaque primò Dominum Rogerium fratrem suum Archiepiscopum Salernitanum ad Dominum Regem prædictum, quem idem Rex animo grato suscipiens suum Consiliarium & Regni Protonotarium ordinavit, & rescribens fratribus suis aliisque suæ nationis Dominis illos consuluit coram Domino Rege venire securè. Tunc Dominus Robertus de Sancto Severino, & Rogerius Tricarici & Clarimontis Comes apud Neapolim pervenerunt, & se coram Domino Rege in reverentia maxima contulerunt, quos idem Rex gratiosè recepit, & præfatis per eos fidelitatis debitæ sacramento, petita licentiâ ad hospitium remearunt. Consequenter comparuit Comes Sancti Severini & nepotes coram Domino Rege præfato, quos idem Rex gratiosè suscipiens, ab eis fidelitatis debitæ juramentum recepit. Singulos autem Comites & Barones ad gratiam magnam suscipit idem Rex, omnesque diligit & honorat, & omnibus se gratiosum ostendit. Comparuit etiam Dominus Raymundus de Baucio, & præfatus coram Domino Rege similiter fecit homagium. Comes autem Miletii tyrannus factus noluit comparere; sed quantumcumque à suis suavis foret, se coram Regia Majestate venire, sed discedens longius, in Franciam se dicitur contulisse. Comparuit etiam Franciscus filius quondam Comitis Berterandi de Baucio Montis Caveosi Comes, quem, quia juvenis erat valde, causâ nobilitatis paternæ illum secum in aula Regia introduxit, & eum in camera continens per tres dies sub dominica caritate credebatur per fami-

A liares suos illum iram Regiam incurrisse, quia videre illum non poterant.

Rex autem præfatus, Comitibus & Baronibus omnibus ac Terrarum omnium Syndicis, post debitam fidelitatem per eos præstitam, receptis ad gratiam, omnibus gratiosum & magnificum se monstravit; & ordinans suam Curiam, Officiales constituit, volens ibidem loco suo dimittere generosum Dominum Dominum Stephanum Voyvodam Transilvanum, & Comitem de Zomith, nobilissimum suum Militem, & magni Consilii sui virum, quem constituerat, ex quo Regnum acquisiverat, Dominum Terrarum, & bonorum omnium, quæ fuerant quondam Ducis Duratii atque fratrum. Nec restare consentit Dominus memoratus. Subito ecce fama per Regnum intonuit, quòd ipse Dominus Rex de Regno recesserat. & Hungari omnes cum eo, modicis quasi nullis derelictis in Regno. Ecce ex hac fama plurima corda hominum fidelium & infidelium sunt divisa, cogitantes quid sequi vellet de recessu subito dicti Regis.

B Commiserat autem idem Dominus Rex præfatis Domino Johanni Chucz & Domino Michaeli regimen Terrarum omnium dicti quondam Ducis pro parte dicti Voyvodi, pro vita & sustentatione suis & sociorum eorum. Scripsit autem idem Dominus Voyvoda Angelo Domini Galucii de Gravina suo fideli Vassallo, quòd apud Montem Sancti Angeli personaliter se conferret, auditurum & facturum quidquid injungeret eidem. Ad cujus mandatum idem Angelus statim ire curavit. Sed antequam applicaret eodem, prius cum Rege recesserat Dominus memoratus. Ut autem applicuit coram Dominis Militibus Vicariis Regis in dicta Montana, ipsum Justitiarium dicti Domini statuerunt Terrarum Vallis Muri, & partium suarum. In dicta autem Terra Gravina constituerunt Judicem Nicolaum de Angelo de Monte Sancti Angeli Capitaneum, Castellatum, & Magistrum Massarium.

C Remanserat autem in Terris Principatus Tarenti Gubernator, Vicarius, & Rector Thomas Pauli Hungarus cum certis aliis suis consociis Hungaris, inter omnes ferme triginta, in custodiam Castrorum Principatus ejusdem.

D Igitur post publicatum recessum Domini Regis ejusdem, præfati Officiales Latini cœperunt hinc inde pecunias extorquere, & pro se ipsis cumulare. Et cœperunt persuadere Populis Civitatum, ut nequaquam Hungarorum dominio obedirent, sed Regina Johanna, & Domini Lodoici de Tarento eorum naturalium Dominorum; ad quorum persuasionem ecce primò Neapolitana Civitas devolvitur contra prædictum Ulricum Regni Vicarium generalem, & consequenter singulæ Civitates & Castra ac Casalâ universa Terræ Laboris & Principatus Basilicata, Calabria, Terræ Idroni, Terræ Bari, Capitanæ, & Aprutii undique subvertuntur, Rectorum & Justitiariorum persuasionibus dimissorum. Ut autem hæc fama per universum Regnum concrevit, ecce præfatus Admiratus Neapolim veniens caput se fecit omnium rebellionis inceptæ, admonens & prædicans Neapolitanos, ut neglecto Hungarorum dominio, eisque funditus dissipatis, ad Dominam Johannam Reginam eorum, & Dominum Lodoicum de Tarento in Provincia degentes, ut redeant ad eorum Regni dominium, nuntios mitterent speciales.

E Placuit hæc ordinatio singulis Neapolitanis, & inter hæc concurret ibidem Comes Miletii, Co-